

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3238

Auteur(s) : Gautier Ier, Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbé)

Bénéficiaire(s) : Godchaux, Aumale, Saint-Martin d'Auchy (abbé)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1143

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Convention épistolaire entre les monastères de Saint-Wandrille et d'Auchy. L'abbé Gautier et le couvent donnent à ferme pour quinze années à l'abbé Godchaux et au couvent d'Auchy ce qu'ils possèdent à Bussy (lès-Daours), moyennant une redevance annuelle de 2 1/2 marcs d'argent. L'envoyé de Saint-Wandrille, chargé de toucher ledit cens, sera reconduit jusqu'au château d'Arques. A l'expiration des quinze années, Saint-Wandrille recevra un tiers de la grange commune à Daours, édifiée aux frais de l'abbaye d'Auchy. Les superstructures seront rachetées par Saint-Wandrille à un prix raisonnable.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Lot Ferdinand, *Études critiques sur l'abbaye de Saint-Wandrille*, Paris, Champion, 1913, n° 77, p. 140-141.

Texte établi d'après a

Littera conuentionis inter nos et abbatem et conuentum Wanciensem (sic) quibus tradimus firmam nostram de Boissy usque ad XV annos.

Frater W. ecclesie S. Wand. vocatus abbas et conuentus fratrum qui nobiscum sunt Go., venerabili abbati ecclesie Alliacensis, et sacro conuentui ipsius capituli plurimam in Domino salutem. Sicut audimus de sanctitate et bonitate vestre religionis, sic utique in Domino gaudemus quia testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nichil vobis desit in ulla gratia, congregatis in uno spiritu ad gloriam Dei uiuentis. Obsecramus igitur per misericordiam Dei ut nostri memores esse dignemini in orationibus vestris coram Domino, ut nostri miseretur Deus, quia et uos diligimus in Domino et pro vobis oramus. De cetero dilectissimus frater noster, filius autem uester et monachus Leoter., preclare sanctitatis homo, ad nos ex parte uestra veniens, nobiscum conloquutus est ede possessiunculam quam ecclesia nostra habet in Boisseyo. Usi igitur consilio fratrum nostrorum, contradimus vobis partem in supradicta willa que ad ius nostrum spectare uidetur per XVcim annos ad firmam tenendam. Vos itaque persoluetis ecclesie nostre exinde annuatim duas marcas et dimidiam probati argenti ac prinsi ponderis infra XV. dies post «letare Ierusalem», et conducetis nuncium nostrum qui censum uestrum nobis deferet usque ad castrum Archarum. Cum vero receperimus terram, accipiemus terciam partem grancee nostre que in Dorno cum participibus nostris communis est, sumptu vestro honeste edificatam. Si autem infra hunc terminum persuasione peruersa ecclesia uestra censum prescriptum apud Buseyum persoluere detractauerit et super hoc aliquis uestrum nos fatigare pertemptauerit, nos quod nostrum est, hoc est possessionem nostram, recipiemus integre. Quod si hoc sic inter nos compositum non fuerit, volumus ut carta uestra super hoc conuentione ad nos facta et transmissa hoc in se contineat, ut episcopus in cuius dyocesi possessio nostra est et ecclesia Ambianensis, vestro concessu et vestro scripto, nobis iusticiam de vobis ipsis faciat. Bene valete. Actum est hoc anno incarnationis dominice M°CXLIIJ°, anno primo Celestini pape II. — Terminus recipiende possessionis nostre ad finem dierum conuentionis nostre

terminus erit Pasche. Si quid vero infra terminum a vobis in terra super edificatum fuerit de sumptu et labore, dictante iusticia et equitate inter nos, per Dei gratiam ad finem componetur, ut unusquisque quod suum est obtineat.